



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Julius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

396 II. Julii. Visitationis B. V. Mariæ.

Apostolos? Quando inter Jesu Christi  
Confessores? Si voluntati nostræ per-  
versæ renunciaverimus cum S. Paulo  
clamantes: Domine! quid me vis fa-  
cere?

*Instructio meritoria.*

Abnegatio sui ò quam necessaria virtus!  
quam utilis! proficia! quam ui-  
acquiramus, duodecim actus statuamus  
voluntati, vel judicio proprio direc-  
oppositos, quos & Patri spirituali exhi-  
beamus pro sancta benedictione. Si  
Patre errat filius.

J U L I U S.

Festum Amicissimæ Visitationis  
Beatissimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

**E**xurgens Maria abiit in montana.  
Non curat ardua montium itinerem.  
Amor dulcoravit omnia. Quò pergi-  
mus? Fili! nunquid ad montem sancti-  
tatis, & Christianæ perfectionis? Qui  
èò pertinet? Qui pigritiam odis, &  
aversatur cum otio, & labores æstimat.

Im-



*Instructio meritoria.*

Fugiamus desidiam, amemus labores! Hi sancti sunt. Probemus hunc amorem frequenti Ecclesiæ visitatione. Qui templa amat, scit, ubi virtutis & Divinæ gratiæ assyla. Novies *Magnificat* recitemus. Quid dulcius? Quid jucundius? Quid acceptius Jesu & Mariæ hoc Canticō?

II.

**V**isitat Maria Elisabetham, & exultavit parvulus in utero matri. O si Jesus! O si Maria & S. Josephus nos inviserent pugnantes, & agonizantes pro æternitate! O si suâ consolarentur præsentia! Quàm beata! quàm hilariis tunc nostra foret anima! Et quid impedit, ut non veniant? Sola harum Sanctorum personarum turpis oblivio.

*Instructio meritoria.*

Si hæc in nobis, reparare licet. Statuamus, in singulas septimanas vel semel v. g. die Martis *Litanias de potenti Consanguinitate Jesu, Mariæ, & Josephi* persolvere, vel *novem Pater, & Ave* in honorem *novem Mensium*, quibus

R 7

Maria

398 II. Julii. Visitationis B. V. Mariae.

Maria sub Virgineo portavit utero Verbum incarnatum. O Maria! sic est:  
Quomodo te colimus, sic nos tu visitas.

III.

**U**bi Maria, ibi gratia, Benedictio, & sancta lætitia. Testor S. Joannem Baptistam, qui exultavit in utero ad adventum Immaculatæ Virginis. Sic innocentia, sic puritas à Deo honoratur. Volumus & nos quotidie exultare in Deo: salutari nostro? Volumus & in tempore justificari & sanctificari? Munditiam cordis aestimemus, & aestimando cautè custodiamus.

*Instructio meritoria.*

Matrem Immaculatam filius decet immaculatus. Pia colloquia misceamus hodie. Dolentes, & afflitos consolemur. *Officio minori de Immaculata Conceptione* nos ipsos in puritate roboremus. O puritas! O cordis mundities! quam modica es hominibus! quam vilis saeculo!

Festum



Festum S. Udalrici Augustanæ  
 Diœceseos Patroni, & Thavimatur-  
 gi Clementissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Parvulum cœlo natum ! Ut puerulus ab omni jam refugit intemperantia, habitu, sensu, vultu, & moribus simillimus angelo. O fili ! quot, & qualia in S. adolescentulo habemus documenta ! Sunt alia pericula ! sunt & alia tempora nobis ! Ni nos observaverimus rigidè, immodestia, & ingluvies prævalebunt sæpiùs.

*Instructio meritoria.*

In quolibet corporali solatio recordemur reflexè intentionis rectæ cum protestatione sancta : *Domine Jesu ! Non corpus, non gustum, sed animam, & mentem refice.* Ideò & consultum, ut memoriter discamus Rhythmum amoris : *Anima Christi sanctifica me, Corpus Christi salva me.* O quam dulcia & jucunda in eo latent pascua !

II. Mag-



## II.

**M**Agnes erat S. Udalricus Verbō, & exemplō, plus tamen exemplō Carnibus vescebatur nunquam. Nudum humō utebatur lectuli locō, cum D. Paulo dicens corpori suo: Castigo te, & in servitutem redigo, ne, cūm aliis prædicaverim, ipse reprobus inveniam. O fili mi! Qui placet hoc Udalrici virtus, & austерitatis genus, atque relictum ad sequelam exemplum? Sumus, & vivimus inter homines: Væ nobis, si minus exemplares!

*Instructio meritoria.*

Scandalum inter Christianos ò quantum malum! Ut nostrā pietate impediamus, & viros in spiritu, & virtute magnos excitemus, quorum sanctitate absterreantur mali, versus quatuor mundi plagas flectentes recitabimus tria Pater, & Ave cum totidem: Benedicamus Patrem, & filium cum Spiritu Sancto in secula seculorum, Amen. Ubique offenditur Deus! Nunquam ergo otietur pietas, & Christiana virtus.

## III. Ut



## III.

**U**T Hunnos vinceret S. Udalricus, ab Angelo S. Crucem accepit, & inimicos Christiani Nominis à patria gloriōse ejecit. Fili! Amamūsne Vexillum S. Crucis? & tamen nobis timemus inter inimicos? O nos modicæ fidei! miles in conspectu Ducis spernit vitæ pericula: & Christianus in præsentia Christi Crucifixi contremiscat? Ubi fides? Spes ubi? qualis Charitas?

*Instructio meritoria.*

Detestemur nostram pusillanimitatem, & inordinatam tristiciam tempore adversitatum: Resumamus animos cum spiritu, & audacter pro Deo, cœlo, & nostrâ decertemus æternâ gloriâ. Quibus signis, aut armis? Manè & nocte nos, & cubiculum nostrum signemus quam diligentissimè illa pronuntiantes: verba: *Iesus Pax Domini Nostri Iesu Christi;* & *Virtus Sacratissimæ Passioni ejus;* signum S. Crucis, & titulus triumphalis: *Iesus Nazarenus Rex Iudeorum &c.* Ecce! Crucem Domini! Fugite partes adversæ!

Fe-

Festum S. Wilibaldi Ecclesia  
Eystettensis primi Episcopi, &  
Patroni.

## EXHORTATIUNCULA I.

**H**æres nascitur Wilibaldus Regi  
Anglici. At maluit pro Christo  
exulare, ut cœlum pro terra emeret, h  
exilio vivimus, mi dilecte fili! Et tamen  
hoc fleibile exilium plus quam patriam,  
& cœlestem Jerusalem diligimus! Plus  
mundi bona, & corporis commoda qua  
rimus, quam beata gaudia, eaque im  
mortalia. Hinc timendum, ne utraq  
perdamus!

## Instructio meritoria.

Ut Eystettensium Ecclesia Deo sem  
per maneat junctissima per fidem, & sa  
cra Evangelia, oremus Officium de SS.  
Trinitate, cui S. Wilibaldus omnia Reg  
na mundi postposuit, spectaculum factus  
contemptus sui sæculo, & cœlo. De  
serenti seipsum proximus semper est  
Deus.

II. Quid



## II.

**Q**uid video ? cum Patre Richardo,  
sceptrō, & coronā pro Christo po-  
sitīs, abeunt & liberi, unanimēs pater-  
ni consilii comites. O cœlestes, & mun-  
dō majores animæ, quas nec caperent  
ampla regna, quibus nil præter cœlum  
sufficeret ! Fili ! Et cur nobis non suffi-  
cit ? Quia toti in- & de mundo sumus, ac  
vivimus. Hora est ! Tandem desera-  
mus, ne deseramur ab eo. Unum ut  
fiat, expedit !

*Instructio meritoria.*

Frequenter suspiremus, & dicamus  
anhelantes : *Quemadmodum cervus de-  
siderat ad fontes aquarum &c.* Et soli  
cum solo Deo agere discamus fugientes  
frequenter publicum. Et quem non  
poenituit fuisse inter mortales ? Fugiamus,  
ut salvemus animas nostras. Conspergi-  
mus has lutō, quoties nimis familiares  
sæculo.

## III.

**F**oenerari discamus à S. Wilibaldo.  
Usurarius hic fuit, sed sanctus.  
Nam terram pro cœlo dedit, utque  
Deum

Deum inveniret, ac in ipso omnia, omnia præter Deum dimisit. Deum querimus & nos, ô fili! Sed cur non invenimus? Non omnia relinquimus. Est cor nostrum divisum inter Deum, & mundum. Et hoc displicet cœlo. Totum debemus! Totum demus prototo. Pan non sufficit illi, qui sua omnia obtulit pro nobis.

*Instructio meritaria.*

Renovemus hodie vota solemnia! His jungamus Rhythmum S. Ignatii: O Deus! Ego amo te! Nam prior tu amasti me! En! Libertate privo me, sponte vincetus sequar te. Quoties imposterum S. synaxin sumimus, toties supplicemus pro heroico mundi, & nostrum ipsorum contemptu, & perfectissima abnegatione. Sine his & Deo, & homini displicemus.

Festum S. Chiliani Herbipolensis Episcopi, & Martyris.

EXHORTATIUNCULA I.

**Q**uam benè Paulus: Si hominibus placerem, Dei filius non essem. Idem

Idem & sibi S. Chilianus. Sanctitatis suæ fama undique fese diffundente, ut laudes effugeret, Præsulatum abdicat, & in Orientalem Franciam abit cum sociis. Amice! Quid nos inter adulatorum, & laudantium linguas? Quid inter mendacia? Ridet cor nostrum; dum tamen amare flere deberet. Tot gladii petunt animam, quot ora laudantium. Non timebimus?

### *Instructio meritoria.*

Ut salvemus Dei honorem, ad omnem hominum laudem taceamus, & Deum mentaliter alloquamur cum interno jubilo cantantes: *Te decet Laus!* *Te decet hymnus!* *Tibi gloria Deo &c.* Caveamus, ne & nos laudemus alios in hac vitâ. Fures, & latrones erimus meritorum, si ex numero adulatorum. In satisfactionem propriæ, & affectatæ laudis, sæpiùs ad *Gloria Patri*, si soli fuerimus, genuflectamus. Occulta pietas securior!

### II.

**P**roverbium S. Chiliani erat: *Dilexi justitiam, & odivi iniquitatem.*  
Gos-

Gosbertum à consortio Geilæ absterruit, quia in conjugem habere non licuit. Amice! Non debemus odiſſe homines, peccatores; sed vitia, & scelerata. Qui odit fratrem, & proximum suum homicida est. Quid crudelius?

*Instructio meritoria.*

Ut regnet pietas, & amor in cordibus Christianorum; econtrà verò pereat omnis injustitia, persecutio, & odium, unum, vel alterum actum virtutis oppositæ exerceamus, in Ecclesia quam devotissimè, ac exemplariter nos geramus, & speciale SS. Rosarium ex hoc fine SSS. Trinitati offeramus. Expectantur à celo, & terra hæc charitatis obsequia. Quis negabit?

III.

**C**ecidit sub gladio in victimam sui zeli Divus Chilianus. Cecidit non sine percussorum, & impiæ Herodiadis vindicta, & confusione. Nunquam occidit virtus. Habet sui defensorem Deum, & cœlum. Hanc ô bone fili! Quæramus, diligamus, & custodiamus. Et non habet, quod sibi timeat. Sac-

foris



XI. Julii. Commemorationis S. P. Ben. 407

fortis stat contrà inferos, quem virtus  
armat propria.

*Instructio meritoria.*

Pro inimicis orare, & his benefacere,  
opus quām Christianum, quām sublime,  
& sanctum est. Hujus occasio non de-  
est. Ut amur, & pro omnibus, qui un-  
quam bonis vel animæ, vel corporis nos  
offenderunt, unam sacramentalem (ò si  
hodiernam!) Deo donemus Commu-  
nionem, ut eis remittat propitium Nu-  
men cum culpa & promeritam pœnam.  
Si charitatem cupiamus duplicare, jun-  
gamus & ipsum sacrificium Missæ. O  
quale inde nobis in cœlo præmium?  
Audiemus: Infirmus fui, & visitasti,  
consolati estis me.

Commemoratio Solemnis Ma-  
gni Patriarchæ SS. Patris, & Ma-  
gistri Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

**T**ria debet filius Patri: *imitationem,*  
*amorem, reverentiam.* Has vir-  
tutes utique millies, ô dilecte in Domi-  
no! à nobis meruit Benedictus Pater  
cœlo,

408 XI. Julii. Commemorationis S. P. Ben.  
cœlo, & mundo datus? Reddamus ergo, quæ Benedicti sunt. Imitabimur verò, si speciales fuerimus Amatores S. Regulæ, & perseveraverimus strenue in cœpta virtutis Benedictinæ semita. De generat, qui Patri vertit tergora.

*Instructio meritoria.*

Ut spiritus Almi Patris Benedicti abundantius crescat in cordibus filiorum, sacram octavam instituamus, & quotidie filialem commendationem ad eundem Gloriosum Patriarcham persolvamus certumque nobis constituamus numerum pro actibus Benedictinæ Modelis his octo diebus fideliter exercendis Qualis Pater, talis filius: Ille modelissimus; Simus & nos.

II.

**Q**uale festum hodie? Fili devotissime! est Dies Commemorationis SS. Patris Benedicti. Et quid sibi hæc solemnitas? En! Mater nostra suavissima, Familia Benedictina se sicut gratissimam Deo, & Benedicto. Deo quia submisit S. Benedictum tempore, quô Romana periclitabatur Ecclesia.

S. Be-



P. Ben.  
XI. Julii. Commemorationis S. P. Ben. 409

S. Benedicto, eoquod eos produxerit,  
mundoque genuerit viros, qui sapientia,  
miraculis, & sanctitate multa millia  
Christo Jesu lucrati sunt animarum. Hic  
finis hodiernae festivitatis. Fili! Ma-  
trem sequamur!

*Instructio meritoria.*

Hoc super Festi Mysterio toti gaudeamus, & post sacrificium Missæ gratitudinis loco hymnum : *Te Deum Laudamus &c.* intonemus cum renovatione solemnni S. Professionis. Caveamus, ne hodie sensuum, aut vitæ laxitate Deum, vel Magnum Benedictum offendamus. Beneficiis amor debetur, non injuria, vel turpis oblivio.

III.

**R**ecordemur Fili, quali in familia nobis vivere concessum? Recorde-  
mur, quibus sociati simus viris? Recor-  
demur quantis privilegiis, & gratiis de-  
sursum & hi omnes beati, atque donati?  
Sed quid retribuemus? Familiae nostræ  
Benedictinæ per exemplarem vitam, &  
Benedictinam humilitatem, ac obedientiam  
nos exhibeamus utilissimos. Hu-  
mili-

S

mili-

410 XIV. Julii. S. Bonaventura.

militas, & obedientia lapides sunt angulares ædificii spiritualis ac Benedictini  
Corruet sine illis.

*Instructio meritoria.*

Speciale pactum cum SS. Patre Ben-  
dicto, eundem per quainlibet septima-  
nam die Mercurii dovotius venerand  
per hunc vel illum actum abstinentia  
macerationis, humilitatis, vel fraterni  
charitatis. Ex 12. gradibus humilitatis  
qui inveniuntur c. 7. S. Regulæ, nobis  
nam constituamus specialem, & ad for-  
tem, quam ad ortum diei tulerimus, ad-  
damus 12. *Ave cum oratiuncula : Ex-  
cita quæsumus, Domine, in Ecclesia fi-  
ritum &c.* Sic filios augebimus, & exal-  
tabimus SS. P. Benedicti. Clamemus  
fervidi, ut audiamur.

Festum Mariophili S. Bonaven-  
turae Doctoris Seraphici, & Cardi-  
nalis ac Episcopi sanctissimi.

**EXHORTATIUNCULA I.**

**E**N! genuinum Christi Jesu, & huius  
Crucifixi discipulum ! Ex vulneri-  
bus Crucifixi mirabilem suam haui-  
scien-



scientiam cum omnimoda Dei sapientia.  
In iis cognovit, quomodo? Et quantum sit diligendus Jesus vir dolorum?  
In libris suis quid expressit S. Bonaventura? Inspice, & videbis non nisi Christum, aut pendentem de Cruce, aut delitescensem in amoris tabernaculo, SS. Altaris Sacramento. Ah! fili! ita & nos diligimus Jesum? Utinam! Sed quid respondet nimia sciendi aviditas, & affectata vana scientia?

*Instructio meritaria.*

Scientia sine dilectione sumus, & vanitas est! Ut evadamus eruditæ secundum spiritum Christi, nunquam ad pulpita, & studia pergamus, nisi præmissis ante à quinque Ave in honorem quinque vulnerum Jesu, adjunctè dilectionis Rythmò: *Anima Christi sanctifica me.* Postea à intellectum, voluntatem, & memoriam penitus consecremus Crucifixo. O sacrificium Jesu omni holocaustò acceptius! Citò igitur ad victimam! Bis dat, qui citò immolat.

*Amor! Crucifixus instruit & suum  
dilectum Bonaventuram. In quo!*

**O** Amor! Crucifixus instruit & suum dilectum Bonaventuram. In quo! In profundâ humilitate, amore propria vilipensionis, & contemptu omnis dignitatis. Fili! quod officium? Quis honor? Quæ gloria, cui non inhiamus ardentissimi? Et tamen credimus, nos vivere discipulos Christi, & quidem Crucifixi? Quæ deceptio?

*Instructio meritoria.*

Ut nos sicut boni in schola Divini Magistri discipuli vivamus, nōsque omnibus viliores & inferiores corde, & ore intimo credamus affectū animi, die sacramentalis Communionis specialiter à Deo Eucharistico petamus gratiam perfectæ cognitionis, & vilipensionis respectu nostrūm. Ut eò certius impetrēmus, septem Pater & Ave subjungamus pro lucrandis indulgentiis. Ubi puritas, ibi & humilitas.

*III.*

**D**Idicit & à Christo hic magnus Ecclesiæ Doctor, quām hilariter, ac constanter se habeat tempore adversitatis

tis, aut miseriæ. Afflictiones probant Christi discipulum : Quid nos ? Declinamus : fugimus : indignamur. O fili ! Quantum distamus à schola , & doctrinâ Crucifixi Jesu !

*Instructio meritoria.*

Sed non penitus refugiamus ! Accedamus proprius & quoties vehementia passionis , & turbo motus rebellantis cor obruit , & invadit , non loquamur , sed aut taceamus , & quiescamus , aut aliquid ex pio libello legamus , aut ad Sanctissimum Altaris Sacramentum properemus , clamantes cum afflictō illō Evangelicō : *Domine Jesu ! O Fili David ! vim patior ! Miserere mei ! Responde pro me !* Non redibimus sine solatio , nec sine victoria. Persolvatur in afflictione Psalmus : *Domine ! quid multiplicati sunt &c.*

Festum S. Henrici, Imperato-  
ris Castissimi, & Angelicæ Benedicti-  
no - Bavaricæ Congregationis Pa-  
troni gloriosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**E**N! rosam sine spina. Ecce! con-  
jugem, Imperatorem, virum; sed  
vide & angelum, quia Virginitatem se-  
cum tulit ad tumulum! grande casti-  
tis prodigium! Et hoc unde S. Henrico!  
à Dei gratia, & custodia sensum, O  
fili! quis non honoret & veneretur tan-  
tum castimoniae speculum? Sequamur!  
Oculos claudamus! Sensus contraha-  
mus! Et moriemur ut Virgines. Au-  
reola jam in cœlo nos expectat asser-  
vata.

*Instructio meritoria.*

Vir castus Deo corpus suum exhibet  
hostiam viventem. Ut offeramus &  
nostrum, aut actum petamus à Patre  
Spirituali sacri rigoris; aut alicuius mor-  
tificationis in cibo. Virginitas timo-  
rem, & ruborem amat; Odit verò ef-  
fusionem, & laxitatem corporis. Re-  
prima-

primamus, ne recalcitret. Recitentur  
Lycaniæ de omnibus SS.

## II.

**T**utores sunt castarum animarum  
Sancti Henricus, & Chunegunda.  
O quām generosæ non vivebant hæ ani-  
mæ! Possidebant mundum, & amore  
Jesu concubabant pedibūs, contentissi-  
mæ, quòd liceat illum fugere. Si nos  
essemus in tanta substantia rerum, &  
opum, Bone! Quid ageremus? Chri-  
stum, & animam fortè sperneremus, &  
his solis fortasse adhæreremus sensuali-  
bus bonis! O quām viliter nostras tra-  
stamus animas!

*Instructio meritoria.*

Sanguinis Jesu respiciamus pretium,  
& ut semper animam castam, mundam,  
& sanctam possideamus, ab actibus sæ-  
culi nos separemus, ecclesiam, atque  
altaria visitemus, & pro obtinendo con-  
temptu sæculi *Officium minus* de ani-  
mabus defunctorum persolvamus. De-  
scendamus ad purgatorium, & haud  
amabimus amplius mundum.

S 4

III.S.

## III.

**S**• Henricus nihil sine precibus aggredit  
solitus, Angelum Domini, sanctos  
que Martyres Tutelares pro se pugna-  
tes antè aciem admirabundus conspexit.  
Oratio cœlum aperit, & Deum attri-  
hit. O fili! Stamus in pugna: Et  
quali! undique hostes! Pericula unde-  
que! Et Dei non recordamur? Ani-  
mum ponimus? Preces, & confiden-  
tiam sponte derelinquimus? Siccine  
sperandus Angelorum succursus?

*Instructio meritoria.*

Deploremus nostram ignaviam, &  
quidquid hodie aggrediendum, fleis  
genibūs, ut in honorem Domini Dei, &  
multarum animarum salutem cedat,  
priùs ardenti supplicatione invocemus  
Divinam assistentiam per officium de  
Spiritū Sancto. Hic spirat, ubi ama-  
tur.

Solem-

Soleninis Commemoratio Be-  
atissimæ Virginis Mariæ de Monte  
Carmelo.

EXHORTATIUNCULA I.

**E**cce ! Mater nostra ! verè dicitur Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & Agnitionis, & sanctæ spei. Quid potuit dare Maria nobis filiis, & non dedit ? Hodie accipimus S. scapulare, signum salutis certissimum. Quid retribuemus ?

*Instructio meritoria.*

S. Scapulare à manè & nocte venerabimur quotidie osculô humillimô cum dicto : *Sub tuum Præsidium confugimus Sancta Dei genitrix.* In gratiarum actionem dati tam pretiosi munera *Te Deum Laudamus* cum formula votiva coram icone Beatissimæ Virginis peragamus. Lauda Sion Genitricem ! Nec laudare sufficiat.

II.

**F**illi ! quam verè gloriatur de se Maria dicens : *Spiritus meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel, & favum.*

*favum.* Hoc si unquam gustavimus certè in S. Scapulari gustavimus; Unde enim tanta non raro nausea mundanorum, & amor Coelestium nisi à Præsidio Cordis nostri, Sancta Maria occurrent nobis de monte Carmelo? Surgamus curramus ad eam!

*Instructio meritaria.*

Quoties hodie Nomen audierimus Mariæ, sine mora detegamus, & in venerationem filialem nostra inclinemus capita, saepius cœli Reginam salutantes Antiphonâ illâ amorosâ: *Sancta Maria! succurre miseris!* Et percipiemos amabilem Deiparæ vocem: *Ego diligentes me diligo.*

III.

**O** Simus cultores S. Scapularis! simus & custodes illius vigilantissimi Mariam portamus in pectore, filii quamdiu non dimittimus S. Scapulare. Et inde qui fructus: Maximi! promisi: Ipsa Alma parens, dum dixit: *Qui operantur in me, non peccabunt.* Et: *qui elucidant me, ac S. Scapulare, habebunt:*

bunt vitam æternam. Grandis promis-  
sio! concordet & nostra operatio.

*Instructio meritoria.*

Hodie si transeamus Imaginem Cœ-  
lorum Dominae, flectamus genua, &  
salutemus Mariam suspirando: *Salve  
Regina, Mater Misericordiae!* Adda-  
mus 5. Psalmos Nomen Mariae expri-  
mentes. Hoc cœlites benedicunt! In-  
feri metuunt! Clientes suspiciunt! Filii  
extollunt! Famuli colunt & diligunt.

Festum S. Margaretæ Virginis  
& Martyris, Advocatæ pro tempo-  
re mortis Benignissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

O Prodigium Christianorum in Vir-  
gine Margareta! A patre tentatur  
pro adoratione idolorum. Ni obediret,  
tormenta, carceres, mortem minatur  
Sed in promptu erat responsio: *Non  
decet Deum derelinquere vivum. Au-  
xilium meum à Domino!* O fili dilekte!  
adest occasio peccandi, Deum deserend-  
i, gratiam perdendi? Hanc S. Margare-  
tæ nobis applicemus tesseram, & in cu-

jus conspectu peccemus, serio cogite-  
mus. In oculis erubescimus hominum;  
Quidni & præsentia videntis, & judican-  
tis omnia Dei?

*Instructio meritoria.*

Si unquam, hodie in oculis Dei am-  
bulemus nobiscum! Tentatori in pri-  
mo statim assultu resistamus, respon-  
dentes audacter: *Non decet!* Patrem  
*colo in cœlis.* Si autem lapsi fuerimus  
ex fragilitate humana, non desper-  
mus, sed in genua provolvamur, cul-  
pam deprecemur, S. Confessionem pro-  
mittamus, & expansis brachiis, plé-  
num miserere dicamus. Hunc ut de-  
ferat ad thronum Dei, humiliter S.  
Margaretam rogemus.

II.

**A** Mor Christi foras mittit timorem.  
Stat tenera Virgo coram tyranno,  
interrogatur de religione & fide: En.  
Quid puella modica: *Ego sum de nobili*  
*genere nata, nomine Margareta, con-*  
*ditione Christiana.* Hæc eadem, &  
mihi & vobis ò fili! nobilitas est. O si  
minùs Christianè vivendo non degene-  
rare.



raremus. Avertat Deus! Excelsos posidemus animos! non inter mundi se peliamus stercora!

*Instructio meritoria.*

Lætemur, si in nostra humilitate, & simplicitate cordis derideamur ab aliis. Non decet propter hominem deserere virtutem. Satis felices sumus, si aestimemur a Deo. Verum mundi, & nostrum ut obtineamus contemptum, S. Margaretam veneremur *Speciali Rosariō* in Ecclesia, vel in privato cubiculo fideliter persolvendo. *Spernere mundum, spernere nullum, spernere sese; spernere se sperni, quatuor ista beant.*

III.

**O**Potens Dei gratia, haec tot inter horrenda S. Margaretam servavit crudelitatis tormenta. Servavit; quia Deo unicè confidit. Nostra quæ est aestimatio de Dei gratia? Vix non ludimus; quia parum curamus. Non terreat nos S. Bonaventura dicens: *Tanta est crudelitas diaboli, quod nos omni hora transglutiret, nisi Divina protec̄tio nos custodiret: Et tamen nobis fidimus?*

S 7

Sed

422 XXII. Julii. S. Mariæ Magdalena.

Sed nostro cum damno ; quia eò frequentius cadimus.

*Instructio meritoria.*

Fili ! dæmonem sibi graviter insultantem solo S. Crucis signo à se abjicit S. Margareta. Non simus sine Crucifixo. Portemus in pectore ! Veneremur in cella. Exosculemur in tentatione cum suspirio : *Jesu ! adi adjuvandum me stina ! Vim patior pro te !* Recitemus psalmum : *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei commorabitur &c.* Ne prævaleat inimicus anima in morte , singulis annis hoc festum ait S. Confessione , aut unō , vel alterō mortificationis , & abstinentiæ actu honoremus , & veneremur. Margaret est Nomen ejus, appretiemur !

**Festum S. Mariæ Magdalena**

pœnitentium speculi.

**EXHORTATIUNCULA L**

**F**illi ! Videmus pœnitentem ad pedes Jesu Mariam Magdalenam. Quis sensus noster de tam subitanea conversione , & pœnitentia ? Tantum profuit  
ante



ante Jesum sese humiliasse! Capita superba! vos quoque deprime! Quotidie Jesum adoramus, palpamus, imò manducamus sub speciebus panis, & vini: Cur nulla sequitur seria morum conver-sio, & pœnitentia vitæ? Deest fides! Quia non vivaciter aspicimus, quis no-stra i[n]habitet corda? O nos incredu-los!

*Inſtruçtio meritoria.*

Capita inclinemus, oculos in terram defigamus, gravitati, & modestiæ angelicæ studeamus, dum coram sanctissi-mo Venerabili in Ecclesia stamus, vel oramus. Dum recedendum è templo, pro Custode Tabernaculi S. Mariam Magdalénam relinquamus, utque interim, dum abfuerimus, cum tota cœ-lorum curia adoret, laudet, & glorificet Jesum, fraternè supplicemus. In reverentiam tanti obsequiū festum hujus Sanctæ semper præveniamus nocturnō jeju-niō cum illo psalmō: *Benedic anima mea Domino &c.* O devotionem ani-mæ fructuosisſimam!

II. Se-

## II.

**S**icut sumus Mariam in peccando sequamur & pœnitendo, ac amando, ut vel sic cum ea audiamus in testulo, & horâ mortis ex ore Divini Iudicis: *dimissa sunt tibi peccata; Quia dilexisti multum.* Hac vox promissa est serio pœnitentibus.

*Instructio meritoria.*

Misereamur ergo animæ nostræ; misereamur & aliorum gravissimorum peccatorum, pro quorum illuminazione, compunctione, & conversione coram Sanctissimo, vel aliquo Crucifixo recitabimus *Septem psalmos pœnitentiales.* Addamus & unum vel alterum actum rigoris, & discretæ austерitatis. Peccavimus in carne! pœnitemus quoque de carne.

## III.

**Q**uod quondam periclitanti animæ hoc dat & nobis monitum S. Magdalena, quæ ita ad misellum: *Hac tenus quia coluisti me, pro te fui apud Deum in cœlis mediatrix, & advocata. Surge jam, conscientia noxas detege, pœnitentiam*

tiam age , nec ego te deseram. Quis sub  
tanta Patrona vivere , vel mori timeat?

*Instructio meritoria.*

Ab hac die discamus S. Magdalena m  
venerari, certam hujus imaginem nobis  
procurare, vel etiam ad aras hujus No-  
mini sacras frequenter invisere , & quo-  
tidie pro impetrando perfecto horrore  
omnis peccati , solido sæculi contemptu,  
& puro ac genuino Dei amore magnâ  
pietate & affectu expansis brachiis tria  
Pater, & Ave cum totidem Gloria Pa-  
tri &c. persolvere statuamus. Deus ho-  
noravit Magdalena m: Cur non & homo?

Festum S. Jacobi Hispaniæ  
Magni Apostoli, & Protectoris.

EXHORTATIUNCULA I.

SUmusne amici Christi? Dilecte! Fuit  
S. Jacobus , qui & usque ad mortem  
Magistro in fide , & dilectione fidelis ex-  
sticte. Quam benè Cassiodorus : Qui  
verè amicus est, omni tempore tam sere-  
no, quam nubilo diligit. Eum non se-  
parat tormentum, labor non laxat, the-  
saurus non superat, alienus amor non  
occu-

occupat. O fili ! Non erimus amio  
erga Jesum tam veri, & fideles ?

*Instructio meritoria.*

Ad laboremus ! Sedemus ergo in  
nebris ? Laudemus Deum, & gratias age  
mus. Exultamus in prosperis ? Time  
mus, quia proximi sumus lapsui. An  
artium est, in felicitate non dissolvi,  
in desolacione non dejici. Hujus Mag  
istros habemus duodecim Apostolos. O  
nos suscipiant in discipulos, 12. Pat  
& Ave cum Te Deum Laudamus per  
solvamus. Hi nostri à latere sint soci  
& Magistri !

II.

**O** Quantus erat labor S. Jacobi in  
convertendis gentibus, & populis.  
At profecit modicè, ut Sancti probaret  
virtutem Deus. Amice ! faciamus, quo  
possumus, & debemus in munere no  
stro. Si respondeat fructus, glorifice  
mus, & benedicamus Dominum. Si  
minùs, ne doleamus. Placet Deo san  
cta voluntas. Negat fructum, ne super  
biendò rapiamus honorem, & gloriam

Deo



XXV. Julii. S. Jacobi Majoris. 427

Deo. O mirabilem circà nos Dei pro-  
videntiam !

*Instructio meritoria.*

Rerum exitus dependent à Deo. No-  
strum est, acquiescere hujus sanctissimæ  
voluntati. Orare tamen expedit, & no-  
stra sæpiùs cœlo, & Deo commendare  
munera, atque officia, pro quorum glo-  
riosa expeditione aut sacrificium Missæ,  
aut sacramentalem communionem cum  
Lycaniis de omnibus Sanctis offeramus.  
Sine Deo, sine cœlitum patrocinio ni-  
hil.

III.

**N**escitis, quid petatis. Quem ferit  
hæc Christi objurgatio? Nos ipsos.  
O fili! Erramus, si aliud petamus, quàm  
pati cum- & pro Christo, & sic intrare in  
gloriam Christi. Discamus itaque mul-  
ta pati pro Nominе Jesu. Discamus ma-  
lum pro malo non reddere, injuriam  
non facere, sed & factam fortiter sufferre:  
Discamus inimicos diligere, maledicen-  
tes non remaledicere. Ecce! Quæ no-  
stra obligatio?

*In-*

*Instructio meritoria.*

Dum soli sumus in cubiculo, assuefamus frequenter expansis in modum Cruciis brachiis adorare Crucifixum sub quaque Pater & Ave, supplicantes pro domino, & gratia Christianæ fortitudinis, patientiæ tempore adversitatis, & defensionis. Assuescamus & ad quemcumque afflictionis casum laudare Dominum, statim dicendo : *Deo gratias! Quod placuit Domino, factum est!* *Nomen Domini Benedictum!* Hic enim Sanctorum est. Cur non & nostrum?

**Solemnitas Sanctissimæ Annæ Christi Jesu Aviæ, & Beatissimæ Virginis Mariæ Matris gloriissimæ.**

**EXHORTATIUNCULA I.**

**B**ona est oratio cum jejunio & elemosyna, ait Tobias. SS. Annæ postquam viginti annos in jejuniis, precibus exegisset, denique à probrofusilitatis liberata est. Dilecte! spem non abjiciamus, si nos non citò audiat Deus. Impetrabimus, si oraverimus cum cor-



stantia. Sæpè si petita differuntur, commutantur in meliora : Et non raro majora accipimus, quām fortè desideravemus anteā.

*Instructio meritoria.*

In honorem totius Consanguinitatis Iesu, Mariæ, Josephi, & SS. M. Annæ per annum die Martis Lytanias recitemus de his SS. Personis, quas vel in legibus Marianis, vel in *Mane nobiscum* reperiemus. In Cœlo sunt nobis Consanguinei alii. Obliviscamur mundanorum !

II.

**P**ro sublato sterilitatis probro quid obtulit S. Anna ? Quod habuit optimum, Filiam Mariam. O fili ! quæ hæc confusio nostra ? Quanta & illa sunt beneficia, quæ defursum accepimus omni momento, & adhuc incessanter accipimus. Et nos vix recordamur ? Imò hîs ipsis donis utimur ad contumeliam Benefactoris malè vivendô. O iniquitatem !

*Instructio meritoria.*

Tollamus, & satisfaciamus, & per hanc Octavam quotidie cum aliquo abstinētiâ, vel alterius mortificationis actu novem

vem Pater & Ave in honorem nomensium, quibus Beatissima Virgo quivit in utero SS. Annæ, persolvamus, fine addamus *Magnificat*. Multum dat parentem, qui ore Filiæ.

## III.

**D**ilectissime! Scimus utique, possit Maria coram Filio. Quid ergo & poterit Avia tota Venerabilis coram Nepote Dei Unigenito, &ta scilicet Anna? Accedamus, & Annam in Matrem eligamus, & proxim cum tota SS. Consanguinitate ad Etulum mortis invitamus. Suavit ultima lucta, si inchoetur praesente Aviâ.

*Instructio meritoria.*

Assister, & consolabitur nos in mis angustiis constitutos, si diebus vestris antè cubitum accenderimus cere quendam S. M. Annæ dicatum, & Pater & Ave cum oratiuncula ex Manobiscum defumenda recitaverimus. S. Annam diligit, Jesum, & Mariam. lit. Hoc cultu quid delectabilius?

Festum S. Ignatii Loyolæ Societatis Jesu Fundatoris zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**M**irabilis Deus in vocationibus suis ! Ignatius vulneratus decumbit graviter, & incidens in librum spiritualem ad Christi, & Sanctorum sectanda vestigia mirabiliter exarsit. O gloriosum vulnus, quod genuit virum & mundo, & Ecclesiæ pretiosissimum.

*Instructio meritoria.*

Quæ cura vocationis nostræ ? Ut sit maxima, officium minus offeramus SS. Patri Ignatio cum filiali statûs, & necessitatis nostræ commendatione. Quod officium continuabimus per octo dies. Meretur amari hic Vir.

II.

**P**ro Christo quid non egit ? Quid non sustinuit, & passus est S. P. Ignatius ? injurias, contumelias, illusiones, carcerem, vix non ipsam mortem. Et hæc quô animô ? Hilari, & pacifico. Deum inde magis laudavit, & ut glorificarent quoque alii, suam admirabilem

pa-

432 XXXI. Julii. S. Ignatii Loyol.

patientiam , & humilitatem quasi p  
hæreditate nobis reliquit desuper mo  
nens : *Omnia ad majorem Dei gloriam*

*Instructio meritoria.*

Quis sine afflictione ? Nec Dei filii  
Sed hanc fortiter pati pro Nomine Je  
cum S. Ignatio, ars artium est. Huic  
ut nos exhibeamus discipulos, tempore  
adversitatis non geinitus, non lacryma  
non singultus, aut querelas, sed S. Ig  
natii utamur tesserâ jucundantes : Ro  
tiar ! vilipendar ! despiciar ! prema  
Et haec omnia ad majorem Dei gloriam  
Annectamus Officium minus de dulci  
mo Nomine Jesu cum Te Deum Laude  
mus. Quàm delectabile pati cum  
pro Christo !

III.

**F**illi ! debitores sumus, non mundo  
sed S. P. Ignatio. Societatem Je  
su instituit, & in hac scholam nobis ap  
ruit omnis virtutis, sapientiae, & pietati  
s. Planè quod quondam hæretici de  
S. Thoma, id & jure optimo enuntiatur  
de S. P. Ignatio : *Tolle Societatem, &*  
*dissipabo Ecclesiam.* Gratulemur illius

filii



I. Augusti. S. Petri ad Vincula. 433

filiis : Gratulemur & matri Romanæ  
Ecclesiæ , &

*Instructio meritoria.*

Jubilemus hodie in Domino, intonando *Te Deum Laudamus*. Et ut inclita societas in spiritu, zelo, & fervore crescat Apostolico, sacramentalem Communionem cum operibus totius diei SSS. Trinitati offeramus. Decet in Deo colere, & venerari sanctos, præsertim Patres multorum filiorum Christo, & cœlo renatorum.

**A U G U S T U S.**

Festum S. Petri ad Vincula.

**EXHORTATIUNCULA I.**

**F**illi! libertatem nobis dedit Deus. Attendamus, ne perdamus peccandō, sicutque voluntariè in servos diabolo nos mancipando. Servitute hac quid infelicius? Ut evitarent Sancti, quid non egerunt? Quantum vitæ rigorem in se non suscepérunt? Et servitutem adeò amaram ac flebilem nos (ô cœcitas!) sponte quærimus, & quæsitam diligimus?